

COLEOPTERA ASIATICA NOVA.

AUCTORE

B. E. Jakowleff.

1. *Cymindis sibirica*, n. sp.

Corpore pedibusque dilute rufis, supra confertim punctata, pilis brevibus dense vestita. — Caput magnum, latum, supra et subtus piceo-nigrum, confertim subtiliter sed profunde punctatum, clypeo laevigato, apice in medio leviter sinnato. Oculi haud magni, parum prominuli. Antennae articulo basali 3° sensim longiore et duplo crassiore. Palpi labiales simplices, i. e. articulo ultimo non securiformi. Pubescentia capitis brevi, erecta, fusco-rufa; pubescentia autem ceterarum corporis partium dilutior, griseo-fulvescens. Prothorax laete rubro-rufus, transversus, anterius dilatatus, dein basin versus fortiter coarcatus, lateribus rotundatis, ante dentem validiusculum baso-lateralem sat profunde excisis; superficie leviter convexa, eodem modo ac caput crebre punctata. Elytra obscure brunnea, macula humerali nec non limbo tenui laterali dilute rufescientibus, apicem versus leniter dilatata, plana, angulo humerali late rotundato, tenuiter striata, striis basi punctulatis, apicem versus laevibus; interstitiis planis, valde subtiliter crebreque irregulariter punctulatis, punctis in singulis interstitiis 3—4 series formantibus. Subtus corpus totum (capite tantum excepto) dilute rufum.

Long. 8 mm.

Singulum specimen haud procul ab Irkutsk mense Julio substercore exsiccato captum.

Haec species colore et habitu ad *C. coadunatam* Dej. et praesertim ad *C. angularem* Gyll., eodem fere modo punctatam, proxime accedit. Differt autem *C. sibirica* a *C. angulari* structura articuli ultimi palporum (qui in maribus cum *C. angularis* tum *coadunatae* dilatatus est), capite lato, oculis sat parvis parumque prominulis, prothorace sensim transverso, elytrorum striis tenuissimis, abdomine rufo. Nam *C. angularis* capite minus valido, oculis majoribus, magis prominentibus, prothorace angustiore, aequo longo ac lato, elytrorum striis profundioribus abdomineque nigro gaudet.

2. **Lethrus appendiculatus** A. Sem. (in litt.).

♂. Corpore breviter ovali, convexo, sat nitido, nigro, subtus leviter caerulescenti. — Caput (mandibulis exceptis) longitudine nonnihil latius, confertim punctatum, occipite clypeique margine antico laevibus; punctis omnino distinctis, ad oculos sensim fortioribus et crebrioribus, in medio minutis latiusque remotis; fronte nonnihil inaequali, ante clypei basin area triangulari subconvexa instructa, pone oculos leviter concava; clypeo leviter deorsum deflexo, a fronte carinula seu plica medio obliterata separato, apice recte truncato, angulis externis rectis, apice acutis, lateribus haud marginato, margine antico sensim deorsum inclinato; frontis carinis seu plieis lateralibus (secundum marginem internum oculorum productis) obtusis, brevibus et solum in parte anteriore bene indicatis; foveis occipitis non profundis; processibus genarum latis, triangularibus, apice subrotundatis leviterque emarginatis; labro magno, antice profunde impresso, angulis externis late rotundatis. Mandibulæ breves, lateraliter late rotundatae, supra nonnihil convexae, ante apicem plica obliqua instructae, apice impressae; margine superiore obtuse carinato, carinula posterius evanescente; parte laterali (pone appendices) convessa, haud carinata; appendicibus

longis, deorsum et retrorsum directis, nullo modo dentatis, apicibus nonnihil convergentibus, basi extus distinete emarginata carinulaque tenui terminata, ipso apice dilatato profundeque ita excavato, ut utraque appendix aspectum cochlearis vel potius auriscalpii praebet. Prothorax anterius gradatim angustatus, latitudinem maximam in initio tridentis posterioris attingens, lateribus rotundatus, margine integro, aequali, haud crenato anticeque fortiter dilatato obductus; angulis anticis (supra visis) sat latis, recte truncatis; triente posteriore ad angulum posticum sat fortiter angustato, fere recte truncato; marginibus antico et postico parum excisis; superficie tota confertim (ad latera et in medio crebrius) punctata, punctis ubique remotis, tantum in angulis anticis confluentibus et cum rugulis alternantibus. Scutellum totum confertim punctatum. Elytra valde convexa, posterius sat fortiter declivia, apice conjunctim acuminata, humeris parum prominulis, anguste foliaceo-marginatis, dense rugulosa, anterius punctulato-rugulosa (rugulis omnibus parvulis brevibusque), subobsolete sulcata, sulculis circa 9 longe ante apicem evanescentibus, lateralibus valde obsoletis, omnibus in fundo minutissime rugulosis; intersticiis planis, fere aequalibus. Tibiae anteriores dentibus parum indicatis spinaque apicali simplici instructae; carina longitudinali lateris inferioris dentibus irregularibus late remotis ornata.

Long.: capitis (absque mandib.) 6 mm.; prothoracis—5 mm.; elytrorum—9 mm.; lat. ad humeros $11\frac{1}{2}$ mm. Long. totalis 17—18 mm.

Mandibulis lateraliter convexis nec carinatis, mandibularum appendicibus singularibus nec non punctura tenui capitis thoracisque haec species insignis ab omnibus congeneribus cognitis argute differt; accedit autem nonnihil *L. polito* Solsky, qui tamen capite (praeter puncturam) subtiliter rugoso, elytris (marginibus exceptis) laevibus, mandibulis externe acute marginatis, appendicium mandibularium forma valde diversa facile dignoscendus est.

Individuum unicum, a cl. A. W. Komarow in provincia Transcaspica detectum, A. P. Semenow mihi communicavit.

3. **Blitophaga capitata**, n. sp.

Corpo nigro, prothorace elytrisque leviter piceo-pellucidis, supra et subtus pilis griseo-lutescentibus dense vestita, abdominis segmentis 2 ultimis setulis longiusculis rufescentibus limbatis. — Caput magnum, latum; fronte inter oculos distincte impressa, foveola profunda medio notata, a vertice carinula latiuscula vix convexa separata. Oculi sat parvi, angusti, valde distantes. Antennae sat crassae, articulo 7^o praecedenti multo majore, 8^o nono aequali. Prothorax fere ut in *Bl. opaca* L. formatus, sed sensim brevior, antrorum fortius angustatus, margine antico latitudinem capitis vix superante, medio late exciso (in *Bl. opaca* prothoracis margo anticus capite sensim latior recteque truncatus vel etiam antrorum leviter productus est), superficie tota minute denseque punctata, 4 plagiis laevibus, nitidis leniterque convexis notata. Scutellum sat magnum, minute crebreque punctatum, marginibus laevibus. Elytra parum convexa, latitudine thoracis, lateribus parallela, carinis 3 bene expressis ornata, carina externa melius indicata, interstitio inter carinam 2^{am} et 3^{am} (exteriorem) ad trientem posticum utriusque elytri tuberculo parum convexo notato; superficie minute punctulata pilisque sat longis dense vestita.

Long. 9^{1/2} mm., lat. 5^{1/4} mm.

Specimen unicum ab J. P. Prein in montibus Sajanicis provinciae Irkutskensis repertum.

Haec species *Bl. opaca* L. affinis est, a qua prothorace breviore, hujus margine antico leviter exciso, capite validiore, antennis crassioribus, articulo 7^o sexto et quinto sensim majore transitumque ad clavam quasi formante, articulis autem 8^o et 9^o aequalibus (in *Bl. opaca* articulus 8^{us} nono duplo brevior est) mox dignoscitur. — Capite valido prothoraceque apice exciso *Bl. capitata* accedit ad *Bl. Souverbiei* Fairm., quae tamen

species differt elytris absque tuberculis in triente posteriore, thorace areolis laevibus omnino destituto, elytrorum punctura multo fortiore nec non pilositate sensim subtiliore aliterque colorata.

4. **Blitophaga vicina**, n. sp.

Species *Bl. opacae* L. quoque affinis, sed sensim latior ac major, prothorace pilis rufis brevibus dense vestita, disco plagiis laevibus nullis notato, antennis longioribus, articulo 2° et 3° fere aequalibus (in *Bl. opaca* autem articulus 2^{us} tertio multo longior est). Vestitura totius superficie magis rufescens, sine nitore sericeo minusque densa, quod efficit, ut punctura thoracis et elytrorum facilius conspiciatur; vestitura elytrorum haud subsquamosa, sed e pilis brevibus simplicibus composita.

Long. 12—13 mm.

Turkestan: Namangan, coll. beati A. Kuschakewitsch.

5. **Aclypea Semenowi**, n. sp.

♀. Tota nigra, unguiculis tibiarumque spinis longis apicalibus brunnescens; supra glabra, opaca; subtus subnitida, pilis nigris vage brunnescens vestita. — Caput magnum, in parte occipitali dilatatum, intra oculos carinula transversa arcuata instructum, totum minutissime crebre punctatum, punctis antice singulatim separatis, postice (pone oculos) confluentibus, in parte occipitali tenuissime rufo-pubescentis, linea laevigata longitudinali vix distincta instructum. Antennae crassiusculae, apicem versus gradatim dilatatae, articulo 2° tertio multo longiore. Prothorax late transversus, antice recte truncatus, lateribus late rotundatus, supra valde dense minute punctulatus. Elytra plana, sat grosse profundeque punctata, punctis fere quadratis, hinc-inde subseriatim dispositis, ad apicem subtilioribus; carinis 2 dorsalibus parum indicatis, tantum posteriorius bene distinctis, basin autem versus fere evanescentibus, paulo ante apicem abbreviatis, utrinque serie punctorum iisdem

ceterae superficie aequalium terminatis; carina humerali acuta, alte elevata, carinis dorsalibus breviore, in dimidio posteriore trans medium tuberculi latiusculi convexitate transcurrente; margine laterali leviter reflexo, toto aequabiliter latiusculo; apicibus cum angulo suturali singulatim rotundatis. Abdominis segmentum ultimum simplex, excisura nulla. Tibiae rectae, spinulis nigris praeditae.

Long. 15 mm.

Cujus speciei singularis exemplar unicum, a Dom. Ignatjew ad lac. Issyk-kul a. 1886 detectum, mihi a DD. P. P. et A. P. Semenowis communicatum est.

6. **Necrophorus rugulipennis**, n. sp.

♀. Membrana aurantiaca excisurae frontalis excepta totus niger. Habitu communi *N. morioni* Gebl. subsimilis, sed cum ab hoc tum ab omnibus speciebus hujus generis duobus characteribus eminentibus: oculorum forma nec non elytrorum sculptura divergens. Oculi $\frac{2}{3}$ protuberantiae ocularis occupantes (ut in *N. morione*), sed nullo modo convexi (quod in omnibus *Necrophororum* speciebus observatur), at plani, ad angulum superiorem etiam sat profunde impressi, quae specialitas una cum colore oculorum griseo aspectum singularem totius capitis efficit. Elytra quoque egregia, rugulis numerosis profundis brevibusque, transversim vel oblique directis, pone humeros optime expressis dense consita, inter quas sat profunde tenuiter punctata, punctis ad latera elytrorum praesertim condensatis, quam ob rem elytra vix nitida, subopaca sunt. Prothorax late transversus, ad basin sat fortiter angustatus. Abdominis segmenta omnia supra et subtus serie setularum rufo-flavarum limbata; elytra quoque secundum marginem lateralem serie setularum ejusdem coloris instructa. Metasternum fere glabrum, tantum lateribus breviter flavo-pilosus marginaque postico serie pilorum longorum flavorum limbato. Femora, praesertim antica, extus breviter pilosa, pilis ejusdem coloris.

Tibiae posteriores minus validae quam in *N. morione* leviterque curvatae.

Long. circa 30 mm.

Individuum unicum, a cl. G. N. Potanin prope urbem chinensem Kalgan detectum.

7. ***Necrophorus funebris*, n. sp.**

♀. Membrana aurantiaca excisurae frontalis excepta totus niger. *N. morioni* Gebl. quoque affinis, antennarum clava nigra, elytris aliter punctatis coloreque pilorum partis inferioris corporis praesertim distinctus. — Oculi convexi, $\frac{2}{3}$ protuberantiae ocularis occupantes. Prothorax valde transversus, basin versus gradatim angustatus. Elytra crebre tenuiter punctata, seriebus nonnullis longitudinalibus punctorum majorum et magis profundorum (secundum suturam carinasque dorsales vix indicatas) notata; ad apicem et praesertim ad latera punctis adhuc crebrioribus, nonnunquam confluentibus. (In *N. morione* punctura elytrorum multo magis dispersa est, punctis ad latera elytrorum nec condensatis, nec confluentibus, eodem modo ac in dorso invicem separatis, sed sensim deminutis; in *N. autem funebri* puncti totius superficie aequales sunt.). Segmenta abdominis setulis nigris vel brunneo-nigris limbata; elytra quoque secundum carinulam lateralem serie pilorum ejusdem coloris, sed apicibus dilutioribus, praedita. Metasternum medio glabrum, ad latera sparsim breviter—, ad marginem posteriorem longius flavidopilosum. Tibiae posteriores parum incrassatae, nonnihil curvatae.

Long. 28 mm.

Singulum specimen a cl. G. N. Potanin in itinere recenti per Mongolian septentrionalem circa Urgam urbem a. 1888 repertum.

8. ***Necrophorus argutor*, n. sp.**

Niger, subnitidus; elytrorum fasciis duabus ad suturam laceratis, epipleuris nec non antennarum clava rubro-rufis.—Caput ♂ (in speciminibus majoribus) magnum, longitudine multo

latius (mandibulis exceptis), fronte excisura subquadrata membranam flavescentem continente instructa. Oculi apud exemplaria majora haud magni, $\frac{1}{3}$ protuberantiae ocularis occupantes (apud specimina minora oculi majores sunt, fere dimidiam partem protuberantiae ocularis occupantes). Prothorax antrorsum valde dilatatus, parte anteriore latitudinem elytrorum superante; medio minutissime subobsolete punctulatus. Epipleura antice macula nigra marginem hand attingente notata. Abdomen nigro-pilosum et setulosum. Metasternum secundum marginem posticum serie pilorum longorum aureo-flavorum limbatum, medio fere glabrum vel pilis flavidis subtilissimis vestitum, lateribus latis, pilis adpressis flavidо-grisescensibus sericeis vestitis. Trochanteres margine interno dente hamato praedito.

Long. 18—22 mm.

Nonnulla exemplaria a cl. G. N. Potanin in Mongolia septentrionali prope Naryn-gol reperta sunt; occurrit quidem haec species in districtu Minussinskensi provinciae Enisejensis.